



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. III. Respondetur Fundamentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

ponit damnabilitatem in eâ, & hæc suppositâ, Papa declarat eam damnatam, & damnabilem. Secundo: Licet autoritas prohibitiva alicujus opinionis pro foro externo competat Prælati sæcularibus, & Regularibus respectu suorum subditorum, respectu quorum habent jurisdictionem; & licet talis prohibitio obliget in conscientiâ, ne eam opinionem externè doceant, & prædicent, attamen hæc prohibitio, etsi sit Inquisitionis, nõ reddit opinionem à se damnatam, & censuratum, infallibiliter improbabilem; nam autoritas definitiva, & censurativa, sine periculo erroris, solus Pontifex, aut Concilij Generalis, privilegium est. Vide P. Ardekin *loc. c.*

P. Ardekin *loc. c.*

§. III.

Respondetur Fundamentis.

S U M M A R I U M.

Papa non facit, ne triginta DD. stent pro damnata, sed ne sint fide digni, n. 80.
Bonum physicum per nullius auctoritatem fieri potest malum; potest morale, n. 81.
Damnata a Papa ut improbabilis est talis pro foro interno, & externo, n. 82.
Certitudo falsitatis non stat cum probabilitate veritatis, n. 83.
Qualiter minus pia pro Conceptione vetetur? Ib. Papa tollit omnem speculativam, & practicam probabilitatem, n. 84.
Probabilitas qualiter sit intrinseca opinioni? Ib. Aliquid vetari potest pro foro externo, non pro interno, n. 86.
Eminentia judicij Pontificij, n. 87.
Opinio ante damnationem fuit ex errore regulamorum, n. 88.
An de essentia probabilitatis sit, ut opinio re ipsa non sit contra Decreta Ecclesia, n. 89.

N. 80.
Caram.

AD fundamentum Caram. respondeo Papam damnantem aliquam opinionem ut improbabilem non facere, ne triginta DD. steterint pro eâ, sed facere, ut ijdem DD. non sint amplius fide digni quoad illâ: autoritas enim Papæ infirmat omnem eorum auctoritatem. Addo, ut dixi, ut opinio sit extrinsecè probabilis, non est satis, ut habeat pro se graves absolūtè DD. sed graves respectivè, seu ut non habeat ea gravitas contra se auctoritatem infirmantem eamdem gravitatem, sed eo ipso quod Papa damnat talem opinionem fundatam Doctorum auctoritate, hæc autoritas habet contra se auctoritatem Papæ infirmantem eam auctoritatem: ergo non est amplius extrinsecè probabilis, immò est extrinsecè improbabilis,

quia habet contra se supereminentem Papæ auctoritatem.

Ad fundamentum aliorum adversariorum, N. 81. moneo primò, ne transeant à concreto ad abstractum; aliud enim est, quod lux non possit esse tenebræ, aliud quod lucidum non possit esse tenebrosum: primum implicat: secundum non implicat in sensu diviso. Moneo secundò argumentum probare, quod neque detur autoritas potens reddere extrinsecè improbabilem opinionem extrinsecè probabilem; nam ex eadem arguendi forma, mutatis terminis, idem sequitur, quod tamen Adversarij, contra quos nunc agimus, negant. Moneo tertio argumentum retorqueri: Ut enim bonum, innocens, lucidum, sanctum, potest fieri malum, nocens, tenebrosum, in sensu diviso ab innocentia, luce, sanctitate, ita intrinsecè probabile potest fieri intrinsecè improbabile in sensu diviso à probabilitate intrinsecâ, adveniente novâ ratione convincente oppositum. Moneo quarto argumentum non esse ad rem, nam ad hoc ut opinio sit intrinsecè probabilis, non est necesse, ut probabilitas sit per modum formæ physice intrinseca opinioni, quomodo albedo parieti albo, sed satis est, ut sit verosimiliter intrinseca, eo modo, quo ut opinio sit probabilis, non est necesse, ut sit vera, sed satis est, ut sit verosimilis. In formâ distingo maiorem: nulla autoritas facere potest, ut reverà bonum sit reverà malum, concedo maiorem; ut apparenter bonum, & reverà malum, sit reverà malum, nego maiorem: & distingo minorem: opinio intrinsecè probabilis danata à Papa est reverà bona, nego minorem; est verosimiliter bona, & reverà mala, concedo min. & nego consequentiam. Paritas innocentis adducta ab Adversarijs firmat nostram doctrinâ; vel enim innocens injustè damnatur, quatenus iudex nititur probationibus falsis, vel justè? Si primum, tunc est pro foro interno innocens, pro externo reus; si secundum, tunc erat apparenter tantum innocens, & est pro foro interno reus, immò per veras probationes fit etiam pro foro externo reus. Ita accidit in casu nostro. Si opinio intrinsecè probabilis damnetur per iudicium falsum, tunc manet in se, ut antea; si per infallibile, tunc manet pro foro tum externo, tum interno improbabilis: pro externo, quatenus prohibita doceri, practitari, &c. pro interno, quatenus damnata per iudicium certum de ejus improbabilitate, & consequenter ea opinio per tale iudicium certum Papæ damnata, erat tantum apparenter probabilis intrinsecè, nunc autem post Papæ iudicium est, tum extrinsecè, quatenus

habet

habet contra se auctoritatem Papæ, tūm intrinsecè, quatenus habet contra se iudicium Papæ omnino certum, improbabilis. Hoc patet in pluribus opinionibus, quæ antea censentur intrinsecè probabiles, quia tamen certum argumentum contra eandem à viris doctis de novò inventum est, modò sunt intrinsecè improbabilis. V. P. Carden.

P. Card.

tom. 1. & tom. 4. ll. cc.

N. 83. Ad secundum respondeo non esse dubiū, quòd falsitas potest ex genere suo componi cum probabilitate in eadem opinione; non tamen si ea falsitas consistat nobis evidenter aut certò; sicut ergo implicat, ut evidenter falsum sit probabile, ita à pari, ut sit probabile, id, quod per iudicium infallibile est falsum, & improbabile. In forma distinguo: falsitas nota per evidentiam, aut per infallibile iudicium potest componi cum probabilitate, nego; constans per iudicium aut rationem opinativam, transeat. Ad paritatem dixi n. 62. minus piam de Conceptione esse mihi aliunde certò improbabilem, etsi Papa eam non damnet ut improbabilem. An verò aliqua ex damnatis possit manere probabilis, lege Riccius, & P. Carden. citatos meo N. P. Card. 62. Ad aliam de duplici stipendio, nego esse probabilem, nisi ex errore eorum, qui volunt necessariam esse decreti publicationem hic, ut hic censetur damnata, quam doctrinam infra expugnabo.

Riccius,
P. Card.

N. 84. Ad tertiam respondeo, eo argumento Filgueiræ probari tantum, quòd veritas speculativa differt à practica, & ex utraq; diversis sequi illationes, & quòd possit cessare practica absque eo quod cesset speculativa, quod libenter do: sed quid ad rem? quasi verò, quia potest tolli una probabilitas, & perseverare alia, non possit etiam utraq; tolli, tollitur autem utraq; per iudicium Pontificium. Quòd si dixerit per illud non mutari opinionem, dico, & dixi probabilitatem speculativam non esse intrinsecam opinioni damnatæ à Papà, sed tantum fuisse verosimiliter intrinsecam; ut enim Papa potest tollere à Doctoribus auctoritatem, quin eos intrinsecè mutet, etsi ea dicatur illis intrinsecam, ita etiam potest tollere ab opinione probabilitatem, quin eam intrinsecè mutet, etsi ea dicatur intrinsecam. Ratio hujus petenda est à doctrinā concretorum; nam concretum sumi potest, vel quidditivè, vel specificativè; concreto quidditivè sumpto, quolibet pars est intrinsecam, sive sit forma, sive subjectum; e contra non omnis pars est intrinsecam concreto specificativè sumpto, nam concretum specificativè sumptum est ipsum subjectum denominatum, subjectum autem po-

test denominari vel à formā intrinsecā subjecto; ita paries denominatur albus ab albedine sibi intrinsecā; vel à formā extrinsecā subjecto denominato; ita paries dicitur cognitus à cognitione sibi extrinsecā: porro sicut, ut tollatur denominatio proveniens à formā physicè intrinsecā, debet subjectum physicè intrinsecè mutari; ita e contra, ut tollatur denominatio proveniens à formā physicè extrinsecā subjecto, non est necesse, ut subjectum intrinsecè mutetur, satis ut cesset ea forma extrinsecam; ita per hoc quòd cesset à cognitione, paries non amplius denominatur cognitus. Ita accidit in casu nostro; per hoc, quòd destruat ratio vel auctoritas, à quibus opinio tamquam à formis extrinsecis ipsi opinioni, denominabatur intrinsecè vel extrinsecè probabilis, eo ipso, absque eo quòd opinio intrinsecè probabilis specificativè sumpta, mutetur intrinsecè, non amplius dicitur intrinsecè aut extrinsecè probabilis, sed per oppositam Papæ auctoritatem cessat omnis dignitas in Doctoribus quoad eam opinionem; & per declarationem cessat omnis soliditas in eā ratione, & omnis connexio rationis cum eā opinione: ergo non amplius dicitur intrinsecè, aut extrinsecè probabilis. Et hinc patet ad quartum.

Dices, non probari à nobis nisi, quòd damnata à Papà non amplius maneat pro foro externo probabilis, quòd ultrò dant Adversarij; non autem à nobis probatur, quòd non maneat probabilis pro foro interno; potest enim aliquid esse pro foro externo vetitum, quin sit pro interno, ut certum est. Fateor, certum esse posse aliquid pro foro externo esse vetitum, quin sit pro interno; attamen nostra argumenta ostendunt opinionem damnatam à Papà ut Papà, non tantum non esse amplius probabilem pro foro externo, sed nec pro interno, immò pro utroque esse improbabilem; quia opinio carens omni fundamento auctoritatis, & rationis non est probabilis; & si habeat contra se aliquid certum, est improbabilis; sed talis est opinio damnata à Papà ut improbabilis; ergo est improbabilis: sed nulla talis opinio potest servire pro foro interno: ergo omnis talis opinio habens contra se auctoritatem, & iudicium infallibile Papæ, cum sit tum intrinsecè tum extrinsecè improbabilis, est illicita pro utroque foro. Fons undè suam hauriunt æquivocationem, præter dicta, est, tum quia non penetrant supereminetiam auctoritatis, & iudicij Pontificij, enervantis omnem oppositam auctoritatem, & rationem; tum quia confundunt sensum compositum cum diviso, & non stant in doctrinā concre-

N.
85.

N.
86.

N.
87.

S E C T I O IV.

De reflexâ infallibilitatis Pontificia certitudine.

§. I.

Opiniones Theologorum.

S U M M A R I U M.

Decreta Alexand. VII. & VIII. & Innoc. XI. & Urban. VIII. & Clem. VIII. sunt declarativa, & legislativa, n. 90.

Qualiter certum sit Papam in materia fidei, morum, & censuris errare non posse, ibid.

Mens Doctorum, n. 91. 92.

Quid propositio heretica, heresi proxima, erronea, errori proxima? n. 93.

Unde sciri possit, an aliquid sit de fide? n. 94.

Contra fidem tam per defectum, quam per excessum peccatur, ibid.

Omnes docent infallibilitatem Papæ esse certam, n. 95.

Innui, quòd decretum utriusque Alexandri, & Innocentij XI. (idem dico de decretis Clementis VIII. & Urbani VIII.) est declarativum simul, & legislativum. Declarativum, quia declarat scandalum inesse saltem opinionibus à se damnatis. Legislativum, quia prohibet eas doceri, & defendi, de quo infra. Cùm autem docuerim certum esse Papam loquentem toti Ecclesiæ in materia fidei, morum, aut censuris ferendis, errare non posse, modò quaeritur, quâ certitudine certum sit Papam loquentem ex Cathedra in materia fidei, morum, & censuris errare non posse; an, inquam, sit certum certitudine fidei, ita ut de fide sit infallibilitas Papæ in materia fidei, morum, & censuris, an certum tantum sit certitudine inferiori, ita ut eadem infallibilitas Papæ, sit tantum, in materia fidei, morum, & censuris, moraliter, aut Theologicè certa.

Esse de fide Papam non posse errare in materia fidei, docet P. Suar. *disp. 5. de Fide sect. 8. n. 1.* M. Cano *lib. 6. de Locis, Caram. lib. 1. Theol. Mor. Fund. n. 249.* Herinx *tom. 3. d. 6. n. 73.* P. Molina *tom. 2. de Justitiâ d. 325.* P. Palao *tom. 1. ir. 4. d. 1. p. 5. §. 2. n. 6.* P. Moya, *tom. 1. tr. 3. d. 6. quest. 5. & d. P. Pal. 8. quest. 6. n. 22.* M. Joan. de Neapoli. *quod. lib. 11. S. Antoninus, Diana, & omnes qui afferunt esse de fide non posse errare in materia morum, vel qualificatione propositio-*

num. At P. Gasp. Hurt. *d. 11. diff. 15.* ait esse saltem ita certum, ut oppositum sit ad minus temerarium, licet non sit de fide. C. Bellarm. *lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 2.* ait, oppositum esse heresi proximum. Exc. Rocaberti *tom. 1. lib. 1. lib.*

concretorum; tùm quia non considerant, quòd nos solemus tales vocare res, quales nobis apparent, non quales sunt, cùm vix evidentiam habeamus; ita quòd nobis apparet verum, & probabile, dicimus verum, & probabile; quidquid sit an reverà tale sit in re; quare dum quaerimus, an Papa possit declarare falsum, quòd est verum, idem est, ac dicere, quòd nobis apparet verum; ita hic, an Papa possit declarare improbabile, quòd est intrinsecè probabile, idem est, ac quòd nobis prudenter, & cum magnâ verotimilitudine apparet probabile.

N. Initas ex P. Eliz. *lib. 2. quest. 6. §. 5. numquam à Papâ vetitam fuisse doctrinam aliam, quæ fuit regula morum; ergo si vetita fuit, non fuit regula morum. Solemne æquivocum, contra quòd plura P. Teril. quest. 27. de regulâ morum; alia enim est regula morum per se, alia per accidens; regula morum per se numquam à Papâ damnata fuit, quia regula morum per se est, quæ est conformis sapientiæ Dei, & veritati, ut est in se; regula morum per accidens est, quæ est iisdem conformis, ut nobis apparet; hæc autem sapè damnata fuit, ut patet in omni opinione creditâ ante damnationem certò probabiliter practicè.*

P. Thyr. An autem ad probabilitatem opinionis requiratur ut non sit re ipsâ contra Scripturam, aut Ecclesiæ decreta, ut docet P. Thyrus in Fundam. Theol. Mor. *disp. 1. §. 4. n. 24.* de hoc infra. Nunc dico, quòd si Divina Scriptura, & similes regulæ infallibiles sint invincibiliter ignoratæ, & inter T. T. incertæ, & opinio habeat pro se fundamentum grave, utique erit probabilis, ut patet inductione; plurimæ enim sunt opiniones Theologicæ utrimque probabiles, & tamen cùm sint circa Scripturam, & inter se contradictoriæ, licet una tantum sit vera, & altera sit re ipsâ contra Scripturam, quia tamen hæc invincibiliter ignoratur, adhuc utraque est probabilis, si utraque nititur fundamento gravi; alias quoties DD. T. T. discrepant circa Scripturam, alterutra Schola Thomistica, vel Scotistica diceret improbabilia, quòd nemo cordatus dicit: ergo potest opinio esse re ipsâ contra decretum Papæ, Concilium, vel Scripturam, & esse reverà certo probabilis, dummodo regulæ illæ invincibiliter ignorentur, & opinio habeat fundamentum grave; quòd si regulæ illæ certò contentent, tunc opinio erit certò improbabilis, ut dixi.

N. 89. P. Thyrus confundit probabilitatem cum veritate, quæ valdè distant, ut alibi.